HIERONYMUS.

[1] *AZOTUS, quæ ſupra Aſdod, uſque hodie non ignobile municipium Palæſtinæ, & una de quinque civitatibus Allophylorum, decreta quidem tribui Judæ, ſed non retenta ab ea, quia nequaquam veteres accolas potuit expellere.*

ΕΥΣΕΒΙΟΣ.

Ἄζωτος, ἡ καὶ Ἀσκαλῶν, πόλις εἰς ἔτι νῦν διαμένουσα τῆς Παλαιστίνης, ἥτις ἦν τὸ παλαιὸν μία τῶν ἑ σατραπειῶν τῶν ἀλλοφύλων; ἣ καὶ ἀφωρίσθη τῷ Ἰούδᾳ· οὐ μὴν ἐκράτησεν αὐτῆς ὅτι μὴ ἀνεῖλεν τοὺς ἐν αὐτῇ ἀλλοφύλους.

EUSEBIUS.

AZOTUS, quæ & Aſcadod, civitas uſque hodie permanens in Palæſtina, quæ olim erat una è quinque Satrapiis alienigenarum, quæque ſeparata eſt tribui Juda. Non tamen eam tenuit, quia non interfecit alienigenas qui in ea erant.

NOTÆ.

1. De hac ſupra in ASDOD diximus. BONFRERIUS.

B.

[1] *BAAL, trans Jordanem urbs filiorum Ruben.*

Βαὰλ, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, πόλις υἱῶν Ρουβίν.

BAAL, ultra Jordanem, civitas filiorum Ruben.

[2] *BAAL, hæc eſt Cariathiarim, id eſt villa Sylvarum, ſive, ut quidam putant, civitas Jarib in tribu Juda, & eſt uſque hodie vicus deſcendentibus ab Ælia Dioſpolim, Cariathiarim in decimo miliario.*

Βαὰλ, αὕτη ἐστὶ Καριαθιαρεὶμ πόλις Ἰαεὶρ φυλῆς Ἰούδα, καὶ ἔστι κατιόντων ἀπὸ Αἰλίας εἰς Διόσπολιν κώμη Καριαθιαρεὶμ ὡς ἀπὸ σημείων δέκα.

BAAL, hæc eſt Cariathiarim civitas Jair tribus Juda, eſtque deſcendentibus Ælia Dioſpolim in decimo milliario.

[3] *BAALA, in tribu Juda.*

Βαὰλ, ἡ καὶ Βαλὰ φυλῆς Ἰούδα.

BAAL, quæ & Bala tribus Juda.

BAALA, montis nomen, Joſ. xv. ℣. 11. in finibus tribus Judæ.

BAALAM, urbs Levitica in dimidia tribu Manaſſe Cis-Jordanina, 1 Paral. vi. ℣. 70. eadem, ut ad eum locum auguror, quæ Joſ. xxi. ℣. 25. *Gethremmon* appellatur.

[4] *BAALASOR, juxta Ephraim, ubi ab Abſalon pecora tondebantur.*

Βααλασὼρ, ἐχόμενα Ἐφραὶμ, ἔνθα ἐκείροντο τὰ πρόβατα τοῦ Ἀβεσαλώμ.

BAALASOR, loca contigua Ephraim, ubi tondebantur oves Abſalon.

BAALATH. Vide paulo poſt BAALETH.

[5] *BAAL ERMON, mons circa Libanum in finibus Allophylorum.*

Βααλερμὼν, ὄρος παρὰ τὸν Λίβανον, ὅριον τῶν ἀλλοφύλων.

BAALERMON, mons juxta Libanum, terminus alienigenarum.

[6] *BAALETH, in tribu Simeonis.*

Βααλὲθ, κλήρου Συμεών.

BAALETH, ſortis Simeon.

[7] *BAALGAD, civitas in campeſtribus Libani ad radices montis Ærmon, quam & ipſam cepit Jeſus.*

Βααλγὼδ, πόλις ἐν τῷ πεδίῳ τοῦ Λιβάνου, ὑπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Ἀερμὼν, ἣν καὶ αὐτὴν ἀνεῖλεν Ἰησοῦς.

BAALGOD, civitas in campo Libani ad radices montis Aermon, quam eandem evertit Jeſus.

NOTÆ.

1. Hæc non ſimpliciter *Baal* in verſione noſtra vocatur, ſed *Baalmeon*, Num. 32. Joſ. 13. vel *Beelmeon*, ut 1 Paral. 5. v. 8. Ezech. 25. v. 9. quomodo & infra in hoc libro appellatur. Eſt altera *Baal* ſine addito, ita nuncupata in extremis finibus tribus Simeonis, 1 Paral. 4. v. 33. BONFRERIUS.

2. Pro *Jarib* reponendum *Jarim*. Videtur autem ea vox ita hîc uſurpari, quaſi hoc viri nomen ſit, cùm tamen *Cariathiarim* paſſim interpretetur verſio noſtra *urbem ſilvarum*. Porrò hæc *Cariathiarim* etiam vocatur *Baal*, vel ut in verſione noſtra eſt *Baala*, Joſ. 15. v. 9, 10. aut etiam voce compoſita *Cariathbaal*, Joſ. 15. v. 60. Attribuitur ea urbs Judæ tribui, Joſ. 15. eam tamen in tribu Dan reponit Adrichomius, ſed abſque fundamento, cùm nuſquam tribui Dan data legatur, ubique autem Judæ eſſe ſcribitur. Vide dicta Joſ. 15. v. 9. IDEM.

3. Præter illam ſuperiorem *Baala*, quæ eadem eſt cum urbe *Cariathiarim*, fuitque in tribus Judæ terminis Borealibus; fuit & altera in eadem tribu *Baala* dicta verſus Auſtrum, de qua hîc agit, Joſ. 15. v 29. Forte eadem quæ poſtea, Joſ 19. v. 3. dicitur *Bala*; quod ſi verum eſt, fatendum erit eam Judæ tribui, ut ferè omnes Simeonitis attributæ urbes, ablatam fuiſſe. IDEM.

4. In verſione noſtra 2 Reg. 13. *Baalhaſor* dicitur. IDEM.

5. Solent nomine *Allophylorum* intelligi apud Interpretes Septuaginta Philiſthæi; at certum eſt non poſſe eos hîc eo nomine intelligi, cùm locus hic à Philiſthæis longius abeſſet: erat enim *Baalhermon* (ita enim in verſione noſtra ſcribitur, Judic. 3. v. 3.) vel montis nomen trans Jordanem ad Orientem montis Libani (ſiquidem & mons ita videri poteſt appellari Judic. 3.) idemque cum monte Hermon, qui *Baalhermon* dicatur, quaſi Hermon Baalis, ſeu mons iſtius idoli; vel certè vallis erat nomen ſeu planitiei ad radices montis Hermon, nam *Baal* Hebræis etiam vallis eſt: quæ vallis alibi, vel certè urbs in valle non ſemel dicitur *Baalgad*, eſſeque dicitur ſub monte Hermon, Joſ. 11. v. 17. & c. 13. v. 5. quod ſi verum eſt, dicendum erit illud, *de monte Baalhermon*, non eſſe dictum per appoſitionem, ſed habere formam regiminis, quaſi dicas de monte vallis Hermon; quomodo etiam in Hebræo exprimitur א. Item apud Septuaginta Interpretes, ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ Βαὰλ Ἑρμών. Idemque manifeſtè indicat Chaldæus Paraphraſtes: חרמון מישר מטור *mittur meſchar chermon*, à monte planitiei Hermon. IDEM.

6. *Baalath* in verſione noſtra vocatur, Joſ. 19. v. 8. Immo non *Baalath* ſimpliciter, ſed *Baalath Beer Ramath* dicitur. 1 Paral. 4. v. 33. *Baal* nuncupatur, fortè eadem quæ poſtmodum reædificata & munita eſt à Salomone *Baalath* etiam dicta, 3 Reg. 9. v. 18. utpote in extremis finibus regni ſui ad Auſtrum. Eadem etiam videtur quæ prius Judæ tribui attributa, Joſ. 15. v. 24. dicta eſt *Baloth*, ut ex Hebraïca ſcriptione utriuſque vocis admodum probabiliter colligitur. Niſi quis malit illam ſeu Salomonis, ſeu tribus Judæ urbem eſſe alteram in tribu Dan infra, Joſ 19. v. 44. dictam *Baalath*, vel *Balaath*: nam & ſcriptio Hebraïca congruit. Significat autem hæc vox decompoſita *Baalath Beer Ramath*, dominam putei excelſi. IDEM.

7. De hac habes Joſ. 11. & 13. Videtur autem urbs ſita in valle inter montem Libani & montem Hermon, nam & in planitie Libani, & ſub monte Hermon fuiſſe dicitur. Vide ſupra in *Agad*, & paulò ante in *Baalermon*. IDEM.

1. De